F

B

Ar
&

In

F

ROSA AVTVMNALIS

Cœlo Manibus Schismaticorū inserta.
Dunae aquis irrigata
In terris gratum spargens odorem
Siue

BEATVS IOSAPHAT.


KVNCEVICIVS

Archiepiscopus Poloceñ Episcopus Vitepsceñ.
& Mscislauieñ Ordinis Diui Basilii Magni
Redux Polociam ad Sedem Suam
Triumpho celebri Vilnæ.
In Vrbe Magni Ducatûs Lithuaniæ honoratus.
Per

BENEDICTVM MICHNIEVICZ
Ord. eiusdem Presbyterum repræsentatus.

Anno Domini M. DC. LXVII,

Ex Typographia Ignatii de Lazaris,
Superiorum Permissu.



Sunt tibi quadrifidæ, gentilis tessera frondes,
Quæ peregrinanti strata dedêre Deo:
Altera pars rubeo, aurato pars altera cosmo
Splendet; & alternum iactat vtrinque iubar.
Numinis è quino profusus vulnere sanguis
Est rubor: Ætheræ quo patuêre fores.
Sanguineæ in rutilos guttæ cessêre pyropos;
Has auro gemmas inseruisse decet.

2

Eminentissimo, & Reuerendissimo Principi

MARCELLO SANTACRVCIO

S. R. E. CARDINALI.

Totius Russiæ Protectori Vigilantissimo.

Domino Domino, & Patrono Colendissimo Benedictus Michnieuicz Ordinis D. Basilij Magni D. D.

AVtumnalem Oblaturus Eminentiæ Vestræ. Rosam in Alba Russia 12. Nouembr. Anno 1623 Schismaticorum manibus. ad. Elysios Campos transplantatam, verebar ne, quod à Luna ad adorandum quasi Solem sese submittente,

po-

potius eum Ecclipſari per illam vſu venit; in Sacram Eminentiæ Veſtræ Purpuram ſimile quid hoc auſu meo contingat. Enimuerò Gentilitia Cruce, & Præſulea animatus benedictione, in vnitam quoquè Ruſſiam, Diuiquè Baſilij Magni Religionem patrocinio, ac tutelâ munitus, odoriferam hanc Roſam ab Eminentia Veſtra acceptam habere, velim: vt nimirum vnde incrementum habetur, eòdem fructus reponatur. Roſam, inquam, in Petri inconcuſſa fertiliſſimaquè Petra natam, Beatum Ioſaphat reducem ad ſedem ſuam cum triumpho. Quem vt hilari fronte ſuſcipere digneris, ipſiusmet Præſulea Purpura ſanguine ſuo tincta recommendat. Suſcipe igitur Eminentiſſime Princeps, & prout ipſe in reditu ſuo, Vilnæ exoptatam ſparſit fragrantiam, ſic Roma Caput Orbis ſub Tuis auſpicijs eundem ſentiat odorem.



B. Martyr Iosaphat Archieppus Polocen. Ord^s.
S. Basilij M. pro Fide Catholica, maxime vero pro
Vnione cum S.R.E. crudeliter á Schismaticis caesus.
[illegible]

Morte Martyrum Religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est, vicerunt victi persecutores suos.
S. Ambr.

Epigramma.

Sacrum dira caput dum Ioſaphat aſcia findit,
Effuſoq; madens ſanguine ſudat humus;
Aethereis Roſa ſuccreſcit formoſior hortis,
Quam iactat Patriæ nobile ſtemma domûs:
Nempe autumnales reſperſit odoribus auras
Sanguineo inuicti Martyris vda croco.
Agri proſciſſi non eſt hęc vomere germen;
Terreſtris, vernat non niſi vere, roſa.
Miſerat hāc Cęlo (eſt etenim roſa amoris imago,)
Ioſaphat, in pignus fœderis, almus amor:
Fędera nunc quoniā patrio nectuntur Olympo;
Natiuum repetit, munere functa, ſolum.

Breuis Relatio Reditus Beati Martyris IOSAPHAT, ad Sedem ſuam Archiepiſcopatus Polocenſis, per Vrbem Magni Ducatus Lithuaniæ Vilnam.

CVrrentis anni, dies vigeſima quinta Septembris erat, quo B. Ioſaphat Ord. S. Baſilij M. per Vilnam M. Ducatûs Lithuaniæ Metropolitanam Vrbem, ex Archimandria Ordinis eiuſdem Supraslienſi 142. milliarijs Italicis diſſitâ, quò per Succeſſorem ſuum Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum Dominum Gabrielem Kolenda, nunc Metropolitanum totius Ruſſiæ Archiepiſcopum, ab incurſione Moſchouitica declinari voluit; iterum ad Sedem ſuam, fide Catholica partam, ſanguine ſuo propagatam Polociam, redibat ouans. Opportunitatem Diuus Archi-Præſul, ab Fel. Rec. Vrbano VIII. in al-

bum purpuratorum insertus B. B. Martyrum, non minùs propter aeris in Lithuaniæ partibus temperiem, nactus, quàm Illustrissimorum, & R. R. Episcoporum vtriusque Ritûs confluxum, multorum Illustrissimorum M. D. Lith. Senatorum concursum, denique ob Status Equestris, & militaris multitudinem. Venerabile Capitulum Vilnense, & multarum Religionum obseruantissimos Monachos, & Fratres non memoro; Nobilissimum dein Iuuentutis Academicæ imbutæ curâ PP. Soc. Iesu, morum honestate, exemplari pietate, sublimi doctrinâ, Vilnæ semper manentium frequentiam, licet magnam splendoris addentem pompam mitto, infra tamen breuiter memorandam.

Vigesima secunda Mensis eiusdem Illustrissimus Metropolitanus Russiæ cum suis Ritûs Græci, Archiepiscopis, Præsulibus, Archimandritis, & multis Ordinis D. Basilij Magni Religiosis venit in suburbium Vilnense vnà cum Diuo Martyre, quem Illustrissimus Episcopus Pinscensis cum Presbyteris Diaconis, & multo Clero obuius salutauit: sicque sacrametati sunt castra eminus Trocensi porta in elatiori colle, sub tentorio amplissimæ molis

artificij variegati, opere plane admirando; assistentibus Presbyteris eiusdem Ritûs tùm Regularibus tum Sæcularibus, multitudine lampadum, & candelarum ardentium intra stipati, extra ignè copioso vndique lucente. Vbi per totum temporis interuallum pedester miles sat numerosus Sacras circa papilionem fecit excubias, musicâ eiusdem varios accinente deuotos hymnos: indubiâ spe fretus insomnis custos, ob hoc suum Diuo Præsuli seruitium delatum, de hoste, cum quo conserendæ manus forent, victoriam reportaturum; quemadmodum ipsius Nomine pro tessera militari sumpto Chouanscius Moschouitici exercitûs Dux Generalissimus, cum maxima strage sub Lachouicijs profligatus est, prout ipsemet Beatus Martyr Schismate profligato nunc triumphat gloriosè: Neque fastidiuit deuotus animus licet grandi quassatus pluuiâ memoratum prosequi obsequium. Et certè desperatum erat de Introductione solemni ob diutinam tempestatem; sed vespere facto, nocteque supergressa, dum

Sic fuscis prouecta rotis nox atra ruebat
Oceano, Vallesq. vmbris complexa cruentas,
Donec flammigerũ tollẽtes æquore currum,

Solis equi ſparsêre diem, iâquè Orbe renato
Diluerat nebulas Titan, ſenſimque fluebat
Caligo in terras, nitido reſoluta ſereno.

imò ſereniſſimo diuque deſiderato Phæbo, vndique populus frequens curſim alter alterum quaſi protrudendo, vt quiſque propior Diui ſe Martyris ſiſtat venerationi confluebat. Diues pauperi comes eſſe non erubeſcebat, ſenex iuniori æquiparari celeritate cupiebat, ſexus vterque Æqueſtris, & plebeius promiſcuè ad honorandum Archi-Præſulem feſtinabat. Tantus ardor omnium erat, vt Nobiles, Ciues vulgus, viri, fæminæ, puerique ad Martyris obſequium pari ruerent concordiâ. Poſt ortum ſolis horâ quaſi primâ Militum equitantium copioſæ phalanges comparuêre. Sequebatur hos ſtudioſa Iuuentus Almæ PP. Soc. Ieſu Academiæ, omnes ordinatiſſimo modeſtiſſimoque gradu, eo nimirum, quem vel Parthenica ſuaſit Sodalitas, vel eorundem PP. inculcauit magiſtra diſciplina, non ſine mineruali maioris gloriæ Diuinæ. Tum variæ Religiones quælibet ſuâ procedebat diſtinctione: Magiſtratu exnunc ſubſequente. Illuſtriſſimus Metropolitanus Ruſſiæ cum ſuis Illuſtriſſimus Epiſcopus Vilnenſis itidem cum ſuis accelerauit, vterque nimi-

mirum Sacrâ Episcoporum, Archimandritarũ, Canonicorum, Prælatorum, aliorumque grandi cinctus coronâ. Principes quoque Illustrissimi Senatores, sacræ Regiæ maiestatis Commissarij, Exercituum Coryphæi & Legionarij multo stipati famulitio confluxerunt.

Sic iam Vrbe totâ in suburbium quasi deportatâ dum omnium cor vnum & mens erat vna, vt, quo quisque posset maximo Beatissimum Archipræsulem prosequatur honore, Illustrissimus Chelmensis Ritûs Græci Episcopus non minus grauitate personæ quam sublimitate ingenij, & meritis in Ecclesia Catholica conspicùus, in loco eminentiori propè Beatum Martyrem dignum tanto viro in laudem Beati, sermonem orsus: qui & Romæ in præsentia Eminentissimorum S. R. E. Principum dissertè dicendo, & Alexandro VII. Fel. Rec. Vitam eiusdem Martyris locupletiùs prælo mandatam dedicando, laudes eius texere consueuit. Peracto itaque sermone, ex mandato Illustrissimi Metropolitani horâ quasi tertiâ diei, solemnem inchoare volentis Processionem, plus quàm libenter paruêre cuncti. Et quidem dictæ PP. Soc. Academiæ florida iuuentus cum suis vexillis præcedentiam sibi vendicauit, humilitatis

gra-

grauitate, morum probitate, exemplarique pietate laudatiſſima. Veſtium ſplendore, phaleratorum equorum gubernatione, aliarumque naturæ dotum muneribus dotata. Militaris Legio veſtigia primi equitatûs continuò premebat, omnes equorum generoſitate, loricarum armorumque fulgore virium robore, animique fortitudine glorioſi: hos à primis diſcernebat buccinarum clangor, tympanorum fragor, aliaque bellorum muſica inſtrumenta. Verùm licet hanc diſtinctionem tubæ non inſeruiſſent, ætas tamen ipſa alterius eſſe ſortis intimaret, & vel quia illi Mineruæ, & Apollini cum ſuis Muſis fauebant magis, iſtis bellicoſus patrocinabatur Mauors. Nihilominùs vterque cætus cultu duliæ nimiùm feruidus procedebat, herebatque pede pes, denſuſque viro vir.

Huic cætui propè millenario, qui tum in Bellonæ arena ſpectabili, amicâ ſtimulati hoſtilitate, ſubtiliſſimorum Ingeniorum acumine concertant, tum in tetrico, ſemperque ſanguinem alterutrius partis ſitiente martio campo, vltricibus congrediuntur armis, huic inquam, ſucceſſit ſacer vnius Regis Regum variorum tamen Ducum exercitus, S. P. Baſilii M. Benedicti, Auguſtini, Dominici, Franciſci bina, Car-

me-

melitanorum itidem Legio bina. Omnes antiquitatis ſuorum Patriarcharum memores & inſtitutionis ſolito ordine ſeruato, mente in Deum eleuatâ, laudantes ſuam maieſtatem pro triumphante Eccleſia Romanâ in Beato Martyre, pedetentim incedebant. Similiter muſica ſacra comitabatur: organa baiulorum quatuor, ſubierunt humeri, circaq; non diſſona inſtrumentorum varietas, vocalium muſicorum cantus, expletis auribus gentis, & platearum laxitate cælos penetrabant. Clero palmam in hoc ſibi præripi non permittente, qui vel ſolâ Gregoriana modulatione ſuauiter adſtipulabatur. Illuſtriſſimum Capitulum Vilnenſe Canonici, Officiales rochetis, hyperendimatibus veſtiti Reuerendiſſimus Abbas Trocenſis Ordinis S. Benedicti, Illuſtriſſimi tandem Epiſcopi, Gratianopolitanus Epiſcopus Albæ Ruſſiæ Suffraganeus, Epiſcopus Vendenſis, Epiſcopus Smolenſcenſis, Epiſcopus Samogitiæ, demum Illuſtriſſimus M. D. Lith. Primas Epiſcopus Vilnenſis, omnes infulati ſplendidiſſimo rubeo induti apparatu, cum debita tantis viris incedebant grauitate.

Iam hic ad modum ferè inauditum Proceſſionis triumphantis Martyris, ſpecialem mihi

quen-

quendam ſcribendi modum ſuppeditari peroptarem: Enimuerò prout in ordinem habente ſe populo, finito ſermone ab Illuſtriſſimo Iacobo Suſza Epiſcopo Chelmenſi, plurimi erant quibus hilaris deuotio exegit planctum, itâ mihi nunc ſcribenti æque pia hilaritas vel inùitùs vberes protrudit lachrimas, dum in mentem reduco meam, iunctos currui prætioſis loris equos generoſos Illuſtriſſimi Metropolitani, & aurigas equis inſidentes; iamq́ iamque eoſdem agere volentes, moxque ſolutos cum habenis & aurigis dimiſſos: euicit quippe obſequioſa pietas in Diuiniſſimum pro vnione cum Sancta Romana Eccleſia Martyrem, & zelus populi variæque conditionis Nobilis & Ciuilis humilis oratio, apud Illuſtriſſimum Metropolitanum euicit; dum quibus ad laborem nata bruta animantia ſed iam emancipata, currum ducere debebant ipſe populus eadem lora humeris ſuis ſuperinduxit, alij quidem pectori ſuo admouendo alij manibus fortiter apprehendo, qui lento paſſu virium robore moderato prò indigentia Proceſſionis Currum triumphalem in quo feliciter cum Chriſto triumphantis in argenteo Sarcophago ſacrum Lypſanon quieſcebat; non ducebant, ſed potius, & veneran-

das

das exuuias cum sua arca, & ipsum Currum portabant, ausim pro certo affirmare.

Ex destinato Currus equis ducendus erat, ni cultus hominum singularis in laudabilem transformaret metamorphosim. Habuit ille rotas in magnitudinem triumphalis currûs, bures, temonem, aliaque requisita affabrè facta. Thronus ipse pulcherrimè depictus paulò supra eminebat, quem coccineum sericum quatuor orgijs latum & quinque longum aureis arte textoria distinctum floribus operiebat, illudque auro textili fimbriatum ob maiorem Beati Martyris honorem, Illustrissimi deferebant Senatores. Geminùs primùm Orbis Lithuanici Hercules, vterque clauam territantium monstruorum, per Borysthenem [a] Orientalium, occidentalium [b] per mare Balticum, per Vistulam & Danubium [c] meridionalium per Dunam [d] septemtrionalium, domitricem habens. Maiorem Generalissimus qui & Palatinus Smolenscensis, minorem alter vulgò Campestrem dictam. hic simul & Vitepscensis. Tum Palatinus Polocensis cum Magni Ducatûs Lithuaniæ Vicecancellario: quos primùm amor mutuus, dein vinculum sanguinis colligauit. Vltrà, Magni Duc. Lith. Magnus Thesaurarius, multi

[a] Tartari, & Cosaci
[b] Suecus cum hæretica Prussia
[c] Raccotius cum Valachis
[d] Moschus.

ri Castellani vltrà citràque dictum coccinum tenentes circumdederunt. Omnes nobilitate, prosapiæ, consilij grauitate, honorum sublimitate in Deum Religione, in Sanctum eius cultu, in Patriam amore, in sacram denique, Regiam Maiestatem fidelitate commendatissimi, Illustrissimi.

In hoc triumphali Curru, an potiùs throno, arcam ex purissimo argento factam sumptu maximo Illustrissimi Senatoris, & Principis amplissimi, olim M. D. Lith. Vicecancellarii, Leonis Sapieha, sex Angeli, itidem sex cubitos geometricos alti, vno pede geniculati, altero firmo, vtrâque manu brachijs in adiumentum datis fortiter sustinebant. Tres erant ex vna laminæ, totidem ex altera parte, caput velabat vna, pedes habuerunt laminam secundam, omnes bullatis adinuicem fibulatæ cochleis, iugamento etiam argenteo inclusæ crassiori. Quælibet harum octo, martyrii Beati Archipræsulis seriem repræsentabat. Grandem scilicet fustem & bipendem securim, barbæ & cæsariei vellicationem, capitis & faciei pedibus, totius corporis corpore toto conculcationem, vestium & cilicii spoliationem, deque sublimi monte præcipitationem, in scapham per pedes

de-

denudati illuſoriam impoſitionem, lapidibus aliis cilicio impletis, aliis nudis, his ad pedes, illis ad collum alligationem, in torrente Duna ſubmerſionem aliaſque plurimas inſultationes, & in bonum Paſtorem ſæuam crudelitatem & crudelem ſæuitiem præferebat. Tegumentum huius tumbæ tantiſper arcuatum, effigiem impiè trucidati Paſtoris, ſacro Præſuleo apparatu ornati, iunctis manibus, cum infauſta ſecuri lunatâ capiti hærente, pro Capite nimirum Ortodoxæ Eccleſiæ Pontifice Romano, videndam ſubiiciebat. Hæc adeò maieſtuoſa pretiique ſummi arca, aliam intra ſe includebat cupreſſinam, odorem ſpirantem gratum, cui Beatiſſimi Martyris concreditum Lypſanon venerandum, mitrâ, pallio, habituque ornatum prætioſo.

Non immemor officii debiti, & venerationis reddendæ Paſtori ſuo, mox eum ſequebatur Ritûs Græci muſica idiomate ſlauono, tanto ſuauius auſcultantium demulcens aures, quantò ſinè artificialium inſtrumentorum ornamento, ſolâ vocum naturalium harmoniâ appetenda, per totas Vrbis vias, quâ latè patebant, cum ſymphoniaca diſcuſſione quadam ingeniosæ compoſitionis gratiſſimè diffunde-

batur; Clerus Damascenicorum tonorum concinnitate paraclisin seu litanias pro PETRI inconcussa fidei PETRA, clementerque de sede eius Orbi vniuerso tradente iura CLEMENTI IX. pro pace Principum Christianorum, hæreticorum humiliatione & schismatis conuersione aliisque necessitatibus, Deo & Christo Pastorum inuisibili Pastori matrique eius sanctissimæ supplices persoluebant. Archidiaconus Illustrissimi Metropolitani Crucem Archiepiscopalem è puro argento fusam, cum pia deferebat maiestate. Ponè Diaconorum denarius ponebatur numerus. Presbyteri partim Ord. D. Basilij Magni, partim sæculares Sacerdotes trigesimum attingebant. Computus Perillustrium, ac Reuerendissimorum Archimandritarum, vel sic haberi potest, recensendo a qua mundi plaga ex sua quisque venit Abbatia, Zydicinensis itaque Cobrinensis, Dermanensis. & Dubnensis adhuc oriente venerunt sole. Berezuecensem, Polocensem, & Braslauiensem etiam Occidens minimè retardauit. Nec Supraslienſi, nec Grodnensi Meridionalis æstus Solis viam impediuit. Laurisouiensis denique Minscensis, & Czereiensis frigidâ zonâ cincti, celeruis se itinere accinxerunt, vt Diuo

Mar-

Martyri triumphanti congaudere possent. Illustrissimi, & Reuerendissimi Archiepiscopi, & Episcopi libentissimâ, & vt ita dicam indiuisibili mente ad functionem huius Actûs confluxêre. Præmysliensem, & Samboriensem Tractus Prouinciæ submontanæ cum Podolia expediuerunt. Pinscensem nec non Turouiensem Polesia dedit cum Lithuania, Chelmensem, qui, & Belzensis; Volinia præsentauit, Vlodimiriensem Protothronium, & Brestensem Subsiluania Aquilonarisque Polonia misit; Archiepiscopum Smolenscensem, & Czernihouiensem Alba Russia, & Roxolania delegauit. Omnes sacro habitu Græco auro texto cui rubeum interponebatur sericum vestiti, Mitras auro puro, margaritis lapidibus prætiosis ornatas deferebant. Ipse Illustrissimus totius Russiæ Metropolitanus præsentis functionis Auctor sedi suæ restituens Prædecessorem Beatum, generis Nobilitate eximius, virtutum indefessus cultor, animarum zelo Pastor feruentissimus, incedebat Archiepiscopali indutus apparamento eo sumptuosiori, quo alijs honore, prærogatiuâ, potestate, Serenissimi Regis Poloniarum Apostolicæ Sedi præsentatione commendabilior, Fel. Rec. Alexandri VII. ore Apostolico,

lico, falli nescio, in Consistorio Eminentissimorum S. R. E. Principum ad Metropolitanum thronum sublimatus, hìc vt talis acceptatus, ab omnibus amatur, honoratur. Diaconi ad subministrandas altiori voce ab eodem dicendas orationes, assistebant. Ex sæcularibus duo, quibus prò exigentia lapsabundarum corporis virium tantisper inniti possit, dextrum Germanus, sinistrum amitinus Frater, Metropolitanum claudebant latus. ex antiquissima Mag. Duc. Lith. Familia vterque nobilissimus, Patriæ suorumque amantissimus, honorum fastigio clarissimus vterque. Item celeberrimæ Processionis huius coronidem imponebat multa nobilitas, officiorum dignitate conspicua, tùm Magistratus Viluensis ex hominibus catholicis vtriusque Ritus conflatus clarissimis, Vrbis eiusdem ciuis, & plebis innumerabilis multitudo. Demum leuioris armaturæ miles longioribus sclopetis instructus, super equos Martio campo apprimè deseruientes, vltimo se loco subiunxit; sed mox & tormenta bellica grandiora, in pedisequum Beati Triumphatoris obsequium quasi prorumpendo, trinam concordi fragore intonuerunt promptitudinem.

Tali procedebant ordine ex suburbio per por-

tam Trocensem dictam, cum magna cordis contritione, animique deuotâ humiliatione, populus autem frequens ex collateralibus fluens plateis continuò maiorem augebat numerum, hæreticis, Iudæis, Tartaris denique indigenis accurrentibus. Versus aliquot Ecclesias inchoato insistendum erat Actui, in quibus campanarum sonitu vndique pium dabatur salue. Patrum Sacri Ordinis Prædicatorum erat prima Spiritui sancto dicata, secunda Santissimæ Trinitati: vtrobique Altaria in plateis erigebantur decentissima, cum Beati Iosaphat Icone, multo lumine lampadum, candelarum, tapetum, variorumque ornamentorum splendore condecorata. Tertium erat P. P. Soc. Parcchiale Templum, cui post Christum Matremque eius Beatissimam, Diuus Ioannes Baptista patrocinabatur. Ad quod Religiosissimorum Patrum eximius cultus, & obseruantia erga Diuum Martyrem, mirùm quantùm effulsit! non parsum sumptibus, non laboribus, non demum adinuentionibus, quibus omnibus præsens honoretur Triumphator. Imprimis theatrum vnius hominis non excedebat staturam; Altare habens pulchrè adornatum, multis candelabris vasis multis, multâque supel-

pellectile argentea instructum: aulæis, peripetasmatibus, & planè Regiis textiliis muri operiebantur. In theatro, Principum, Magnatum, Nobiliumque filii, Academiæ P. P. Soc. tenera Iuuentus, cuius ætas decennium vel non attigit, vel certe duos supra decem non excessit, triumphantem Archi-Præsulem, splendidè vestita præstolabatur. Adueniente interim Curru, musica P. P. Soc. tum vocalis tum instrumentalis multifaria ad organum, suauissimum auribus inferebar melos; nec cessatum ab hac donec Beati Martyris exuuia mortalitatis è diametro theatri, an potius arcûs triumphalis constitit: quo etiam ascedentibus Illustrissimis Episcopis vtriusque Ritus & Metropolitano, tubarum clangor, & fragor tympanorum mirâ in modum hilaritate applaudebat. Mox generosa Iuuentus illa, obsequiosissima salutatione Hospitem & Antistitem, deuota congratulatione Martyrem & Victorem, intimâ apprecatione Triumphatorem & Patronum prosequebatur validissimum: ita nimirum ex ore infantium & lactentium perfecit Dominus laudem sanctorum suorum. Nouerit sanè totus Mundus, non solus Orbis Polonus, quibus Magistris illustratus est, quibus ad iustitiam

eru-

eruditus, qui & arcus ſubire triumphales & fulgere faciunt in æternas perpetuitates. Iamque poſt redditam venerationem, iteratò tubis tympanis glorioſum ſonuit celeuſma, muſica etiam abeuntem Diuum Archi-Præſulem ad locum destinatum ſuauiſſimo nec non modulatiſſimo expediebat concentu.

Ab hac P. P. Soc. Æde ſacra, latior ſe obtulit Triumphatori via dexterâ manu ingreſſum ad Eccleſiam Sanctiſſimæ Trinitatis Baſilianorum porrigente, quâ ductrice altius aſcendendum erat, donec ſcopus attingeretur. Pergebatur in incæptis, ecce dùm propter Curiam Magiſtratus Ciuilis itur, præter militaris muſicæ claſſicum ex alto Prætorii datum, multæ bombardæ ſclopeta multa aliquoties inſimul exonerata, eodemque inſtanti ex tormentis bellicis & mortariolis exploſum horrendè. Læti Conſules vtriuſque Ritûs cum Patritiis ſuis, quòd B. Martyris Archimandritam agentis operâ ſchiſma è ſenatu explodebatur; & tandem funditùs exploſum. Vlteriùs procedentem Beatum Archi-Præſulem Domus Profeſſa PP. Soc. Eccleſiæ S. Caſimiri Præpoſiturâ gaudens per totam Vrbem ſe diffundente âerei ſonûs voce venerabatur ſic Vrbe quaſi perluſtratâ ab

Antiſtite glorioſo, ad cuius præſentiam in plateis domus Palatia & muri varium decorem & ſplendorem induebantur, onuſtus vt ita dicam ſalutationibus, acclamationibus & triumphis, Baſilicam Sanctiſſimæ Triadis Baſilianorum intrauit gloriosè. Ibi in magnificentiſſimo plus quàm Regio throno, illorumne quos Deiferos vocitamus, Præſuleis inquam & aliorum Infulatorum manibus, an etiam eorundem, qui fimbriam tegumenti Currùs Triumphantis Martyris per totum Proceſſionis tempus ferebant, Illuſtriſſimorum Principum Senatorum, viribus in throno collocatus? videor mihi non poſſe abſque præiudiciò alterutrius partis affirmare. beatum illum qui ſanctis Dei talem vnquam exhibere potuit honorem!

His ita gloriosè peractis Lyturgiam ſolemnem ipſe feſſus licet Illuſtriſſimus Metropolitanus celebrabat, magnâ circumdatus Epiſcoporum, Archimandritarum Sacerdotum, Diaconorumque coronâ. Profectò ſi eò quiſpiam Syrus de vltimis veniret ſyluis, aut ex remotiori Ephrem remearet eremo, in quem vſque Gentilitium Illuſtriſſimi Metropolitani deferebatur nomen & virtus, videret oculis propriis S. Patris Baſilii Magni, in Filio ſuo, Archi Epiſcopi Cæ-

ſareæ

ſareæ Cappadocienſis in Archi Epiſcopo tôtius Ruſſiæ Ideam viuam, humilem maieſtatem, clementem pietatem, Domûs Dei dilectionem, zelumque animarum in eo videret. Cerneret eum qui Archimandriam Berezuecenſem â poſſidentibus iniquo iure mulctâ licèt compoſitorum aggrauatus iudiciorum, aliquot millibus de Patriis bonis perſolutis Eccleſiæ ac Religioni recuperauit reſtituit. Animaduerteret eum, qui ob prouentus Archimandriæ Supraslienſis Collatori denegatos, aut cedere iuſſus, aut euaginato, quem temulentus tulit famulus gladio ſubdere caput, lubens paruit, & denudatam propriis manibus, in præſentia Perilluſtris Canonici Vilnenſis & Protonatiorii Apoſtolici Religioſorumque illius Monaſterii, geniculatus porrigebat ceruicem: aſſerens, ſanguine ſuo Patrimonium Chriſti fertiliùs fore. Gauderet ille Syrus Archiepiſcopo viſo, quem videre eſt erudiri, iudicaret ſanè non tantum Baſilianæ Religionis prudentiſſimum eſſe moderatorem Beatiſſimique Martyris digniſſimum ſucceſſorem, ſed etiam totius Ruſſiæ vigilantiſſimum Paſtorem, labore, ſapientiâ, & multa prouidentiâ Schiſmaticas Eccleſias & earum Præſbyteros ab errore pertinaci reuocantem, in

14

Comitiis Generalibus ne quid a Sectariis contra immunitates Ortodoxæ fidei clanculùm irrepat, etiam cum dispendio suæ sanitatis aduertentem.

Ab hoc tam eximio Pastore finitâ Missâ ex altiori pulpito, R. P. Cyprianus Zochovski Ord. S. Basilij M. recenter laureâ S. Theol. redimitus Romæ, in laudem Beatissimi Præsulis, ad numerosissimum Auditorem cum dulci verborum eloquentia perorauit: non immemor laborum fatigationis, & exhibitorum Diuo Martyri, ab eodem Auditore honorum, panegyrice gratias dedit infinitas. adeòque bene Sacri Oratoris gessit partes, vt idem Illustrissimum Auditorium ad dandas Sacræ Sedi Apostolicæ summas gratias proripuerit, quod illa, animabus ad pascendum sibi commissis, earumque zelo feruens ex Vrbe Roma Magnos Basilios pietatis, Religionis, Monasticæ vitæ exemplares cultores, Magnos Athanasios Schismatum Hæresumque strenuos oppugnatores ministret, quod Chrysostomos oris aurei disertissimos Prædicatores Gregorios Theologos, & Nazianzenos dogmatum Fidei claros illustratores submittat; quod demum Apologeticos Dionysios, Epiphanios Sanctissimæ Trinitatis hono-

noris vindices Cyrillos Iuuentutis quoque doctissimos instructores Arsenios quasi rediuiuos Ecclesiæ primitiuæ Orientalis Patres suppeditare, & per eos Catholicam Fidem propagare, dignetur. Sola malesanorum Schismaticorum infida colluuies, non minus impio liuore quam peruicaci contumacia tumens, & in Christi Vicarinm Successorem Petri Sacramque eius Sedem Apostolicam, maleuolo æstuans animo talem ab illa gratiam in Vnitam Russiam emanare vehementi odio ac inuidia tabescebat.

Iam die lunæ succedente vigesima sextâ nimirum Septembris, habitâ notitiâ quadragenariæ Orationis frequens eam populus deuotissimè absoluebat non modò ob plurima Missæ Sacrificia a Præsbyteris sæcularibus, & multarum Religionum Sacerdotibus dicta, sed etiam ob eiusdem populi singularem zelum, quo inflammatus peccata sua apud Confessarios deponebat, animasque viuifico Pane corroborabat, Sacra panegyri in laudem Diui Præsulis à R.P. Blonski Soc. Iesu complementum honoris addente, & a R. S. Simeone Cyprianovicz Ord. S. Basilij Mag. eidem diei Vespertino sermone clausulam imponente. Die martis Alma PP. Soc. Iesu Academia Iuuentute florens Nobilis-

simâ,

ſimâ, ſicut in multis ſpecimen virtutum, pietatiſque exemplum præbere ſolet, ita in hac etiam deuotione & ſpeciali Proceſſione cum ſacra exomologeſi Patronum ſuum venerata: ad cuius feruoris complementum eodem mane R. P. Grabouski Soc. Ieſu, veſpere R. P. Korzenieuski Ord. S. Baſilii M. perorauit. Mercurii die quo ad veſperam oratio terminari voluit, ſed non potuit, nam per integrum tempus in eodem ſemper feruore quo incepit, perſeuerabat. Illuſtriſſimus etiam Epiſcopus Vilnenſis Mag. Duc. Lith. Senator primus cum memoratis Epiſcopis, Suffraganeis, Canonicis, & Venerabili Capitulo ex Cathedrali Eccleſia ſua Diuo Stanislao dicata proceſſionaliter venit: vbi ab eodem Illuſtriſſimo celebrabatur Miſſa ſuauiſſima accinente muſica. Perilluſtris quoq; R. D. Girski Canonicus Vilnenſis non minus docte quam erudite in laudem B. Martyris concionatus. Poſt meridiem veſperæ dicebantur a Patribus Baſilianis iis terminatis Reuerendiſſimus P. Ioſephus Grodzicki Archimandrita Polocenſis multis in locis celebris Chryſologus inhabituatuſque concionator, ſuaui verborum vbertate ſermone facundo cum applauſu cunctorum auſcultantium finem imponebat.

Ve-

Verum ad tam gloriosum actum necessum erat Schismatis obtrectantis os blasphemum obturare, negantis Corpus Præsuleum in hac Arca esse, vel certe vix ossa putredine consumpta reperiri; quare visum erat vt Diuinissimus Martyr, non solum aquilis in Petra Petri nidificantibus Catholicis, sed etiam cæcutientibus noctuis & vespertilionibus videndus præbeatur. Idcirco die solis in octaua nimirum Introductionis semoto operimento argenteo Sol Roseus affulsit, paulo altius eleuatus D. Martyr, benedictionem daturus vniuersis, & intactum ab omni tabe virgineum eius Corpus ornatum apparatu sacro, caput quasi recens saucium præferens vulnus, sacra Pastoralis manus ad excipiendum osculum, tangendas imagines, libellos, rosaria coronas, quinque diebus patebat sanguine madens Eodem die R. P. Businski Ordinis S. Basilii M. super Palpate & videte, Schismaticorum perfidiam, & conuicia contra S. Apostolicam Sedem quæ in Cathalogum Beatorum Martyrum ab ijs crudeliter necatum Diuum Iosaphat inseruit, doctissimè refutauit. Cui etiam R. P. Ioannes Malachovski Ordinis eiusdem pari zelo amorem ac desiderium Sanctæ Vnionis cum Ecclesia Ro-

16

mana ingeniosissime persuadebat. Ab hoc die expositionis sacrorum Diui Præsulis Lypsanorum ad sequentem vsque Dominicum diem in octobris octauam incidentem prout inchoata sic indeficienter renouari continuòque crescere deuotio videbatur, varijs Religionibus processionaliter quolibet die aduenientibus, & Sacrum ab vnaquaque Diuo Martyri encomiasticum reddentibus tributum. Vesperi a suæ Religionis sacris Oratoribus ex eodem pulpito similem honorem deferentibus: ab iis potissimum quos sancta Romana Ecclesia in Alma Vrbe, & Orbis Capite sapientiâ illustrauit, fidem Catholicam à Parentibus traditam solidauit, pro qua, & mori in morem Diui Præsulis non formidant, non recusant.

Duabus elapsis ab ingressu septimanis Beatissimus Præsul Aedibus Sanctissimæ Trinitatis visitatis benedictione omnibus impertita, voluit destinatum iter ad sedem suam inirè Polocensem: quam sibi intimatam habentes Illustrissimi Episcopi, Senatores Clerus status Equestris Martis Athletæ Palladisque colluctaores, Vrbis Senatus, Ciues & populus numerosus aliique in Vrbem introducentes ad expediendum Diuum Pastorem illico confluxere:

cui

cui R. P. Zienovicz Soc. Iesu faustum pro nostris precabatur iter, omnibus verò ad obsequium Diui Martyris accurrentibus Præsuleam exposcebat benedictionem. Hoc sermone finito in parato Curru Illustrissimi Senatores propriis manibus Beatum Iosaphat collocarunt; ducebaturque Currus æque pio populi erga Patronum suum affectu, multo Clero, gente multa campanarum sonitu comitante multo. Sed quia in Vrbis exitu prope portam Saluatoris dictam, Ecclesia obtulit se Cathedralis Metropolitana, Sacratissimæ Virgini ab vetustissimo sæculo dicata, noluit Diuinus Martyr Christi Pastoris sui Matrem insalutatam transire: diuertit ad eam vt se nunc etiam pium monstret cultorem, qui vnicam post Christum viuens venerabatur Patronam. Vbi dum comparuit mox nomine eiusdem Sacratissimæ Matris a R. P. Casimiro Koialovicz Soc. Iesu doctrinâ pietateque celebri, vt bonus Pastor & Christi verus Imitator humanissimè salutatus. Mansit ibi Beatus Archi-Præsul pro Festo eiusdē Virginis Beatissimę quod Protectionis nūcupatur in feriam tertiā incidentis: eo die Missâ dicta solēni in honorem sacratissimæ Protectricis Reuerendiss. P. Bienkovski Archimandrita Gro-

dnensis matris misericordiæ in seruos suos indeffessam curam & tutelam patrocinium & promptum prædicauit auxilium.

Die Iouis demum quo aggressus iter Beatus Martyr per R. P. Cyprianum Zochovski Ord. S. Basilii M. Vrbi valedixit, vtque diutius hæc duret in omnium corde valedictio, tipis exaratam reliquit. Itineri tandem accinctus in aperto campo per R. P. Iosaphat Brazyc Ordinis eiusdem tranquillam dedit pacem & paternam impartitus largè benedictionem. O quanti erant qui singultibus implebant auram, & orationibus Cælos penetrabant, Beati Iosaphat poscentes intercessionem: quanti propriam exponentes ei necessitatem, & commune fidei Catholicæ, Patriæque afflictæ promouentes bonum. Acceptatis iis B. Martyr cum successore suo Illustrissimo Metropolitano Religiosis & Presbyteris sæcularibus Aulâque honestissima sat copiosâ comitante, donec Dunam in qua mergebatur bonus Pastor, feliciter sub Poloko traiecit, post exactum iter quinquaginta leucarum. Suscipitur Polociæ non dispari animo prout Vilnæ, simili Currus tractione, solenni pompâ, campanarum, sclopetorum tormentorumq; salutatione, & obuia triumphali processione,

fe-

feliciterque in ſede ſua obſequioſis locatus manibus, acclamationibus & ſacris encomiis honoratus.

Iam ſi cui vnquam Tibi potiſſimum nobiliſſima Vrbs Polocia expedit, vt diſtendas, & dilates gaudijs vniuerſis pectus tuum maximum, magna, nobilibus, viris, & fortitudine, magna, literis, & literatis, magna virtute, & æſtimatione, quæ tanti Præſulis depoſito ditaris. Hæſit ille intra Tuos parietes in Archiepiſcopali Eccleſia tua tanquam margarita radioſa in annulo, vt ſplendidiùs vniuerſo luceret Orbi: tanquam cor purpureum in pectore, vt puriſſimum virtutum doctrinæque ſanguinem in honoratiſsimum Vnionis corpus diſpenſaret, tanquam pupilla ſtellans in oculo, vt peruigil, & inſomnis in illa Beatarum Mentium ſpecula pro ſuæ Eccleſiæ augmento, pro Poloniæ Regno, Mag. Duc. Lith., & totius Ruſsiæ gloria excubaret. Hæſit denique tanquam animus ſagax in corpore, vt membra ſua, nimirum Te tuoſque ab hoſtium incurſione, & omnis generis calamitate ſaluè conſeruaret. Tibi inquam fortunatiſſima Polocia, Tibi Paſtor tuus, Theſaurus tuus hæreditario debetur iure; nos vero triumphantis Archi-Præſu-

18

lis dulcissimâ memoriâ mentem occupamus. O si mos ille vigeret adhuc, quo solemni pompa Victores portabantur in Vrbem, quantus foret Martyris nostri triumphus, quæ gentium acclamationes, quæ monumenta victoriarum; Iret ante Currum depresso collo, subiectis ceruicibus, subacto vultu, contemptus mundus: Currum traherent simul vincti simul victi cum conspirantibus Vitepscenses, frontibus famulari iugo coniunctis: succederent agmina vitiorum vno simul omnia loro deuincta, cæsaque flagello virtutum. Hic tractus sonanti compede liuor ringeret: fremeret audacia sine telo: iaceret arrogantia sine supercilio: morderet inuidia sine dente: debaccharetur impietas sine voce: mæstum sine viribus Schisma agmen claudderet: & ferream domito collo catenam trahens, pedibus manibusque reuinctis splendidum fieret pompæ ludibrium. Qui plausus interea, quæ in Te laudes â circumfusa Nobilitate, & plebe circumferrentur? Ponerent Tibi Beatissime Præsul obeliscos alij vt Sesostri, alij columnas erigerent, vt Troiano: tabulas illi Tibi figerent vt Alexandro: arcus isti flecterent, vt Constantino: Pyramides quidam excitarent vt Nino: quidam currus iungerent,

vt Cæsaribus: plurimi Statuas erigerent, vt victoribus innumeris. Sic Iosaphat Beatissime triumphares. Quamquam, vt fatear hæc minora sunt meritis, neque vlla reperiri possunt emblemata quibus tantus triumphus exequetur. Non obelisci in metam efformati; Martyris gloria metas nescit: non Columnæ, quæ deorsum basi nituntur; Cælo Nomen illius innititur: non tabulæ, quę pigmentis collucent, virtus ista factis non coloribus illustratur: non arcus, qui curuantur, atque flectuntur; recta hic & inflexa in Catholica fide bonitasque optimi Pastoris solidatur: non Pyramides quæ puncto terminantur; Iosaphati victorię terminos nullos agnoscent: non Currus, qui præterlabuntur, non præteribit hoc factum: non statuæ demum, quæ obmutescunt; tanta prodigia non silebunt multarum rerum furtu ablatarum ab ipsismet furibus domini, quorum res erant receptores. Loquentur multarum rerum perditarum prodigiosis modis læti inuentores, prædicabunt duæ Nobiles Matronæ, nominis etiam Ecclesiæ Romanæ vehementer exosæ, quarum vtraque Diui Martyris ope sanctam amplexa Vnionem. Narrabit vterque sexus plurimorum morborum â multis annis graui pressus ægri-

ægritudine, auxilio Diui Martyris pristinæ sanitatis vigorisque recuperator. Dicet librator bellicorum tormentorum destinatus eorundem curæ, vt sub ingressum Beatissimi Præsulis in signum abundantioris honoris explodantur, fecit miserandus homo vel inuitus quod debebat, Schismatici liuoris plenus & inuidiæ, tandem nauseabundus super hoc obsequium Beato præstitum, renuit ampliûs onerare iustè & moras nectens ex disposito madidum non accendebat puluerem, asserens vt iam ipse Duszochuat iaculetur [sic vulgò Beatus Iosaphat a Schismate vocitari solet] res mira; in momento nullâ ignis approximante scintilla, tormentum exoneratur fragore præter solitum Ciuitas impletur, & blasphemus ex vallo in profundissimam exanimis ruit vallem: tandem commiseratione multorum in Ecclesiam ad Beatum Martyrem deportatus respirauit. Non obmutescent omnes isti beneficiorum Dei memores, quæ Tuâ Beatissime Iosaphat virtute, tuis validissimis meritis obtinuerunt: non silebunt omnes Tuam in posterum opem imploraturi. Et licet ego solus scribentem calamum receptui paro, non tacebit tamen Poloniæ Regnũ cũ suo Monarcha, Magnusque Ducatus Lithuaniæ, & Russia

tota

tota, non tacebit: perorabunt omnes votis & suspiriis ad Deum desideriis & supplicationibus, Christi in terris Vicariam potestatem pro Te supplices deprecabuntur; vt quod pauca lustra post Beatificationem Beatissimæ VRBANI VIII. non concesserunt VRBANITATI, hoc Tibi CLEMENTIS IX. Clementissimâ donetur CLEMENTIA.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistr. Sac. Pal. Apost.

M. Episc. Arimin. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sacr. Palat. Apost. Magister.

c.

ft.

k.)